

Franz Wolf Rudolph Stenger

Collegii Theologici Disputatorii, Disputatio Septima, De Homine Ad Imaginem Dei Condito

Rostochii: Richelius, 1696

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74090275X>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 21.Nov. 1696

Wolf, Francisco/c

I. N. J. 72

COLLEGII THEOLOGICI
DISPUTATORII,
DISPUTATIO SEPTIMA,
DE
HOMINE AD
IMAGINEM DEI
CONDITO, 374

Quam,
adspirante DEI T. O. M. gratiâ, consensu
Pl. Rev. Facult. Theol.

PRÆSIDE

FRANCISCO WOLFIO,

TH. D. & P. P. Collegii Senatorii Seniore,
Pastore ad D. Mariæ, & R. Min. Rostoch.

Directore,

publico Eruditorum Examine

IN ACROATERIO THEOLOGORUM

subjecturus est

RUDOLPHUS STENGER, Erfurt:



ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr,

Anno 1696. d. 21. Novembr,

G

1696

COLLEGIUM THEOLOGICUM
DIPLOMATO
HOMINUM
IMAGINEM DEI
COMPOSITO
FRANCISCO VOLFFIO
IN ACADEMIA THEOLOGICA
RUDOLPHI STURMI





§. 1.

Ultimum in creatione DEUS homini creaturarum visibilium perfectissimæ assignavit locum, propter quem, & ad cuius usum alias creaturas omnes, ipsos etiam angelos homine quamvis perfectiores produxit, ipsumque adeo in domicilium augustum omnibusque ad vitæ usum instructissimum introduxit: Ultimum igitur & nos homini locum inter opera Creationis merito tribuimus tanquam totius universi complemento.

§. 2. Scilicet productis die sexto e terra tanquam elemento prædominante animantibus quadrupedibus, & reptilibus, & quoad corpus & quoad animam, seu formam, materialibus Gen. I. 24. 25. progressurus ad productionem hominis v. 26. non eodem quo ante modo v. 24. dixit DEUS: *producat Terra hominem vel fiat homo*, ut ante dixerat fiat lux v. 3. fiat expansum v. 6. sed singulari quadam ratione, quasi consilio & deliberatione præviâ usus in antecessum dixit: *Ficiamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram*, qui dominetur &c. moxque v. 27. executurus hoc Decretum, creavit DEUS hominem ad imaginem suam, ad imaginem DEI creavit eum, marem & foeminam creavit eos. Quæ (1) indicant futuri operis excellentiam, quod ipse DEUS, non ut alia, solo verbo & nutu, sed peculiari ratione manibus quasi suis & afflatu proprio conditurus erat. (2) Consensum plurium personarum in hoc opus producendum. Cur enim ita non intelligamus sed potius pro modo utitato loquendi habeamus unius personæ singularis autoritate pollentis, ratio nulla apparet. Nec in V. T. scimus Exemplum alicujus personæ ita de se in prima pluralis numeri loquentis. Unde & cum alibi in Scripturis pluralitas illa ad tres personas restringatur, multi veterum & recentiorum hoc loco S. S. Trinitatis vestigium observarunt. (3) Licet DEUS in hoc decreto duabus utatur vocibus, nempe imaginis & similitudinis, & similitudo aliàs latius pateat imagine, nondum tamen justa causa subest, ut statuamus per vocem imaginis respici animam & ejus facultates, harumque conformitatem cum DEO, contra vero per vocem similitudinis respici accidentia & perfectiones harum facultatum, sapientiam

G 2

entiam

entiam, & iustitiam. Etenim uti hoc loco Moses utraqve voce imaginis & similitudinis utitur, ita alibi unicam tantum ex his vocibus adhibet. Nunc solam vocem similitudinis Genes. V. 1., nunc solam vocem imaginis Genes. I. 27. & tandem in decreti huius Genes. I. 26. executione Gen. I. 27. unica rursus voce explicat quod duabus in decreto expresserat, nempe creavit DEUS hominem in imagine sua: Et hinc per verba: Faciamus hominem ad imaginem nostram secundum similitudinem nostram, nihil aliud videtur dici, quam faciamus hominem ad imaginem nobis quam simillimam.

§. 3. Decretum ita Genes. I. 26. factum, illico eodem die sexto DEUS executus est vers. 27. Et creavit DEUS (1) hominem (2) in imagine sua (3) masculinum & foeminam creavit eos (4) dedit eis benedicendo vim crescendi & se multiplicandi, (5) potestatem replendi terram eamque subjiciendi sibi, (6) dominium in pisces maris & in volatile coeli, & in omnem bestiam reptantem super terram, (7) usibus ipsorum concessit omnem herbam, omnemque arborem, bestias terrae, volatilia coeli, reptantia super terram, Genes. I. a. v. 27. ad finem cap. Licentiam vero comedendi ex arbore scientiae boni & mali sub comminatione certissimae mortis protoplastis interdixit, Genes. II. v. 16. 17., postquam eos in paradisum tanquam incolae futuros introduxisset Genes. II. 8. De omnibus vero his agere & temporis & chartae angustiae prohibent, sufficiat ergo pauca quaedam delibasse.

§. 4. Omnium igitur primo DEUS unicum tantum individuum hominum, & quidem masculinum produxit, quod cum duabus partibus essentialibus constet, corpore & anima inter se unitis, ideo, quod corpus attinebat, DEUS (1) אֱלֹהִים cum duplici jod formavit, juxta quorundam piarum cogitationes, ad denotandum hanc creaturam ad duplex, hoc & futurum seculum formari, neque tantum dixit protulit terra, aqua, ut alibi, sed ipse DEUS formavit, comprimendo finxit, quemadmodum figulus vasa solet ex argilla & luto. Confer. I. ad Tim. II. 13. & Esai. XLI. 25. Jerem. XVIII. 2. (2) hunc Adam nempe unicum illud primum individuum masculinum, quod adhuc sine socia foemina erat Genes. II. 18. 19. 20. (3) אֶרֶץ per ellipsin propositionis, ut putat Glassius, pro אֶרֶץ e pulvere de terra, Genes. II. 7. Quod vero ad animam ejus attinet, addit ibidem Moses, sufflavitque in nares ejus halitum vitae, sic factus est homo anima vivens: Flatus hic, quo hominem animavit, factus est a DEO,

DEO, non de DEO, nec de aliqua materia, sed de nihilo, juxta Aug⁹ *ἐμπνεύσεως* hæc DEO tribuitur *ἀπὸ πνεύματος ἁγίου*, ut natura animæ indicetur, quæ spiritus est & spiraculum vitæ, quia per spirationem se exerit, estque anima inspiratione illa simul producta & inspirata, ut loquitur Qvenst: System. pag. 312. Anima ergo hominis non e potentia materiæ est ducta, sive e temperatura corporis, quomodo v. g. Flamma ex oleo educitur, adeoque est substantiæ immaterialis, quæ non perit cum corpore, sed manet superstes & extra corpus per se subsistit, & functiones sibi proprias potest exercere, videatur Matth. X. 28. Luc. XII. 4. 5. conf. Eccl. XII. 7. Unde & Christus moriturus patri spiritum suum commendat Luc. XXIII. 46. idem fecitavit Stephanus Act. VII. 59. idemque jubemur & nos facere 1 Petr. IV. 19.

§. 5. Cumque videret DEus, non bonum esse homini, ut viveret solus, constituit se ipsi facturum adjutorium tanquam coram eo Genes. II. 18. Adductis ergo ad hominem omnibus agri bestiis, omniqve volatili coeli, ad videndum, quid vocaret illud, cum non inveniret homo adjutorium tanquam coram eo, fecit DEus cadere soporem super Adamum, eoqve dormiente cepit unam e costis ejus, & clausit carnem pro ea, & edificavit costam quam ceperat de homine, in mulierem, & adduxit eam ad hominem.

§. 6. Putant nonnulli Adamum ante Evæ formationem una cõsta omnes homines superasse, post vero conditã Evã totidem costas retinuisse, quot reliqui homines gaudent, nec tamen prodigiosum fuisse ob excessum unius costæ, cum hæc in eo tanquam capite totius generis humani debuerit esse. Cæterum nec improbabile videri queat, si dicatur, per costam, unde Eva formata, intelligi, non nudam, sed carne vestitam, & loco illius aliam a DEO ipsi fuisse restitutam, cum locum illum carne i. e. costa carnibus vestita rursus cinxerit DEus.

§. 7. Corpus ergo Evæ ex costa fuit formatum, supplente DEO defectum materiæ, sive ex nihilo sive aliunde translata. De anima vero ejus quæritur, unde producta. Sunt, qui putant, eam pari modo quo Adami e nihilo productam. Alii vero, cum Scriptura non dicat, DEum in faciem ejus spiraculum vitæ inspirasse, putant eam non ex nihilo creatam, sed ex Adami anima, velut lucem a luce, animam Evæ accensam, Evamqve ab Adamo animam participasse, cum costa illa, ex qua formata, fuerit animata vid. Gerhardi Isagog. Disput. 22. §. 14.

§. 8. Adamum non esse in, sed extra paradysum conditum, colligi solet ex Genes. II. 7. idem statuunt nonnulli de Eva, quæ post copulationem demum cum Adamo in paradysum traducta, quamvis & alii, Evam in paradiso conditam, colligant ex eo, quod fabrica Evæ in Scriptura demum commemoretur post narrationem translationis Adami in paradysum.

§. 9. Quamvis vero & Angeli per consequentiam ex scripturis dici queant suo modo ad imaginem DEI conditi vid. Gerhard. Isag. Disp. 12. §. 26. p. m. 523. seqv. præ reliquis tamen omnibus creaturis homo discrete in Scriptura Sacra dicitur, ad imaginem DEI conditus Gen. I. 26. non obstante, quod singulæ creaturæ conditæ sint conformiter illi ideæ, quam mens divina de illis condendis habebat.

§. 10. Imago in genere est effectus vel aliquid simile suo exemplari productum ex intentione agentis sibi finem determinantis. Hinc (1) imago est effectus non cujusvis causæ, sed liberæ causæ finem sibi determinantis, se velle nempe aliquid simile cuidam exemplari producere. (2) debet esse similis suo exemplari, cui agens ipsum intendit similem producere. Hinc licet unum ovum alteri sit simile, nondum tamen ejus, cui simile est, dicitur imago, quia hic non datur agens liberum sibi proponens hunc effectum alteri similem producendum. Hinc quicquid DEUS tanquam agens liberum in homine intendit, sibi ipsi tanquam exemplari cuidam simile producere, & inde DEO simile est, in hac latitudine ad imaginem DEI vi vocis posset referri, licet idem & in aliis creaturis deprehendatur, v. g. quod sit ens, substantia.

§. 11. Sed latior hæc foret acceptio, quam Scripturarum usus admittit, cum hæc non sit similitudo cum ratione propria DEI, à qua homo præ cæteris creaturis omnibus corporeis dicatur ad imaginem DEI conditus. Ergo Scripturarum stylo imago DEI demum dicitur conformitatem quandam hominis cum DEO Archetypo suo, præ reliquis creaturis materialibus in ratione propria DEI, licet in perfectionis gradibus magna relinqvatur differentia.

§. 12. Et ita sumitur rursus dupliciter (*α ὁμοίως*, prout includit omnia ea in quibus homo quandam cum DEO, exemplari præ aliis creaturis materialibus conformitatem habet; adeoque pertinet ad eam (1) concreata sapientia & justitia originalis (2) ipsa spiritualis essentia animæ cum facultatibus suis, intellectu & voluntate, ex mente quorundam veterum, (3) immortalitas corporis (4) dominium in reliquis creaturas. Sane

ne non casu homo accepit animam spiritualem intellectu & voluntate præditam, sed DEUS seipsum tanquam exemplar intuitus hominem ratione horum etiam sibi condidit conformem, adeoque homo ea habet ad similitudinem DEI egregie expressa. Hinc etiam ex sententia quorundam veterum homo post lapsum extra statum regenerationis & renovationis positus, videtur dici imago DEI. Gen. IX. 6. Jacob. III. 9. Ideo homicida morte est afficiendus, quia violavit imaginem DEI, quæ in occiso erat, etiamsi non fuerit renovatus, & maledictum etiam in non renovatum effusum, est contumelia imaginis divinæ vid. Baj. & citati apud ipsum Theologi a p. 334.

S. 13. Quia tamen absolute loquendo ab essentia spirituali animæ, ejusque potentiis intellectu & voluntate, homo non vocatur imago DEI v. g. homo adhuc obtenebratus & sub dominio peccati vivens, licet animam spiritualemente intellectu & voluntatem habeat, non dicitur imago DEI, aut DEO conformis aut similis, sed potius dissimilis, ideo & superior acceptio paulo est generalior, adeoque imago DEI hoc loco sumitur μερικώς, specialiter & κατ' ἴσχυριν, a qua homo absolute denominatur similis DEO & DEI imago, quæ consistit in præcipua quadam accidentali similitudine cum DEO.

S. 14. Hæc imago dicit complexum plurium perfectionum accidentalium, intellectui & voluntati & appetitui protoplastorum creaturarum, ut per eas DEO, esset similis, eas in posteros propagaret, (adeoque non accepit eas ut donum personale, sed naturale) & beneficio earum actiones suas recte institueret & perficeret. Uti enim reliquas creaturas, ita & DEUS hominem condidit valde bonum, adeoque perfectionibus ad consequendum finem sibi præfixum necessariis præditum: Minus principaliter tamen etiam dicit dominium in reliquas creaturas & immortalitatem corporis ad Coloss. III. 10.

S. 15. Imago hæc importabat essentialiter (1) ex parte intellectus lucem habitualemente, quæ res Divinas pariter & creatas pro eo statu sufficienter, & ex his creatorem in quantum ex lumine rationis nondum corruptæ cognosci potest, longe perfectius, quam hodie cognoscere, & de vita legi divinæ conformiter instituenda per omnia recte & sine errore judicare posset Coloss. III. 19. (2) ex parte voluntatis vires, quibus non solum se recto intellectus iudicio conformare, sed etiam potentias inferiores, ut absque inordinatis motibus manerent, dirigere, peccatum omne evitare, & sic iuste sancteque homo vivere posset (3) ex parte
appe-

Appetitûs sensitivi vires obsequendi & se sine luctu subjicendi & recto intellectûs iudicio, & sancto voluntatis imperio, nec locum dandi motibus inordinatis. Exprimi alias solent hæ perfectiones imagini DEI essentielles nomine sapientiæ, justitiæ, & sanctitatis concreatæ & originalis, erantqve donum non personale, sed naturæ, in posteros per generationem propagandum.

§. 16. Atqve hæc justitia orig: primis hominibus non fuit supernaturalis, sed naturalis, non quidem quod naturam hominis essentialiter constituerit, aut constitutam ex necessitate consequatur, sed potius quia eis de lege naturæ ad suas connaturales actiones cognitionis veri & appetitionis recti & boni debebatur, & propterea eis ab ipsa origine inerat, cum naturâ eorum, tanquam perfectio ad illius connaturales actus de lege naturæ debita, propaganda. Et, si unquam sine ea fuissent, non in statu purorum, sed impurorum naturalium potius & præternaturali fuissent.


§. 17. Sicut imago DEI ex parte animæ has importabat perfectiones, ita minus principaliter ex parte corporis quoque quasdam dicebat similitudines cum DEO, inter quas eminebat immortalitas corporis homini collata, vi cuius corpus perpetuo durare, & ab omni corruptione liberum poterat manere, absque necessitate & potentia proxima moriendi. Unde origo mortis peccato adscribitur. Gen. II. 16, Rom. V. 12, Rom. VI. 23. vid. Baj. comp. p. 342.

§. 18. Tandem ex parte totius hominis imago DEI etiam importabat appendicem quandam, nempe dominium in creaturas inferiores, præcipue bruta Genes. I. 26. 28. Genes. II. 16. Hoc vero consistebat in jure & potestate hominis in eas, & in virtute ac potentia flectendi ea ad obsequium sine difficultate & periculo.

§. 19. Neqve etiam solus Adam, verum & Eva in justitia originali est condita Genes. I. 27. Genes. V. 1, 2. conf. etiam Coloss. III. 10. Eph. IV. 24. ratione tamen scientiæ naturalium Eva videtur cessisse Adamo, & etiam dominii, dum Eva ex Adamo tanquam parente facta conf. I. Cor. XI. 7.

§. 20. Finis denique ex parte hominum erat (1) vita hominum DEO placens, & (2) æterna beatitudo, non tamen ex merito, sed gratuito DEI dono subsequenda, qui actus obedientiæ primi hominis, a concreata justitia originali procedentes, & naturales, ex mera gratia vita æterna voluit remunerari.





ne non casu homo accepit animam spiritualem intellectu & præditam, sed DEUS seipsum tanquam exemplar intuitus honore horum etiam sibi condidit conformem, adeoque homo est similitudinem DEI egregie expressa. Hinc etiam ex sententia veterum homo post lapsum extra statum regenerationis & repositus, videtur dici imago DEI. Gen. IX. 6. Jacob. III. 9. Ideo morte est afficiendus, quia violavit imaginem DEI, quæ in eo etiam si non fuerit renovatus, & maledictum etiam in non renovatum, est contumelia imaginis divinæ vid. Baj. & citati apud ipsi logi a p. 334.

§. 13. Quia tamen absolute loquendo ab essentia spiritu eiusque potentiis intellectu & voluntate, homo non vocatur in v. g. homo adhuc obtenebratus & sub dominio peccati vivens animam spiritualem intellectum & voluntatem habeat, non dicitur imago DEI, aut DEO conformis aut similis, sed potius dissimilis superior acceptio paulo est generalior, adeoque imago DEI hominis dicitur μερῶς, specialiter & κατ' ἐξῆς, a qua homo absolute naturæ similis DEO & DEI imago, quæ consistit in præcipua quædam essentiali similitudine cum DEO.

§. 14. Hæc imago dicitur complexum plurium perfectæ essentialium, intellectui & voluntati & appetitui protoplastici creaturarum, ut per eas DEO, esset similis, eas in posterum propter deo; non accepit eas ut donum personale, sed naturale) & beatorum actiones suas recte institueret & perficeret. Uti enim relicturas, ita & DEUS hominem condidit valde bonum, adeoque finibus ad consequendum finem sibi præfixum, necessariis prædicitur principaliter tamen etiam dicitur dominium in reliquis creaturæ mortalitatem corporis ad Coloss. III. 10.

§. 15. Imago hæc importabat essentialiter (1) ex parte lucem habitualementem, quia res Divinas pariter & creatas pro eo factenter, & ex his creatorem in quantum ex lumine rationis non ruptæ cognosci potest, longe perfectius, quam hodie cognoscitur vita legi divinæ conformiter instituenda per omnia recte & iudicare posset Coloss. III. 19. (2) ex parte voluntatis vires, solum se recto intellectus iudicio conformare, sed etiam potiores, ut absque inordinatis motibus manerent, dirigere, potius evitare, & sic iuste sancteque homo vivere posset (3)

